Fragmentarium

f. 1 recto

copiam coloniensibus amicitie causa misere. Hisdem diebus venit treberim sanctus nazarius predicans Christum. sed a civitatis infelicissimo principe cornelio domiciano imperatori delatus est. Igitur sanctus maternus apud urbem coloniam obiit senex anno dominice incarnationis c. xx. viii. Cuius obitu treberi comperto mox coloniam profecti sunt pastorem suum repetentes. Aderant et tungrenses qui simul cum coloniensibus eum sibi retentare satagebant. Certatum est diu ab utrisque. Interim venerandus quidam senex in urbe apparuit monens cives ut a lite desistentes suis parerent consiliis. et corpus pontificis in navi ponentes. deinde a litore fluctibus impellentes. quo deus vellet abire sinant mirares. Mox ut angelus consuluerat factum est. Navis sancto onusta corpore nullo se regente nauclero angelico remigio contra fluctus dirigitur. et parvo hore spacio miliario confecto in loco qui ex industria coloniensium Rouueza tunc vocatus est littori applicatur. Tunc tunc treberi corpus sui pontificis a deo sibi destinatum cum debita gratiarum actione suscipientes treberim revexerunt. et in ecclesia non longe a corporibus sanctorum eucharii et valerii honorabiliter sepulture tradiderunt. Deinde auspicius quidam regimen tenuit. dein insignes per legitimas successiones sectate et gratia pollentes extiterunt felix. mansuetus. Clemens. moyses. Martinus. Anastasius. Andreas. Rusticus. Auctor. mauricius. fortunatus. Cassianus. marcus. Navitus. marcellus. metropolus. Severinus. florentius. martinus. maximinus. valentinus. quorum octo ultimi et tungrensi ecclesie prefuisse noscuntur qui

omnes diversis temporibus non solum in propria provincia. sed in exteris et ultimis industrii et illustres non solum confessione quin etiam martyrio existentes regna etiam tyrannorum vicerunt. Qui videlicet episcopi omnes in ecclesia sancti eucharii sepulti creduntur esse. Quorum autem imperatorum vel consulum claruerint temporibus. quos que vita eorum habuerit exitus. quotque singuli annis amministraverint officium pontificatus. seu quemadmodum quisque ampliaverit ecclesie sue redditus quia totius gallie ab hunis et normannis facta abolevit eversio nec a nobis lectoris cuiusquam requirat exactio. cum et antea diris decem persecutionibus sub quibus vixere eorum memoriam fama scriptorum studio minus potuerit divulgando perpetuare. Primus etenim christianos persecutus est nero. secundus domitianus. tercius traianus. quartus marcus antoninus. Quintus severus pertinax. sextus maximinus. septimus decius. Octavus valerianus. Nonus Aurelianus. Decimus diocletianus cum maximiano. Harum itaque persecutionum temporibus predicti viri treberorum presulatum nequaquam manifeste. sed sicut ait apostolus. in solitudinibus et in montibus. in speluncis et cavernis terre peregisse probantur. ut merito eorum vita. tam fervente tunc ubique persecutione. quam postea exterminata sepius treberorum civitate oblivioni tradita fuisse credatur. Auxit hoc infortunium humani generis adversarius. Postquam denique insuperabiles tres evangelii sui operarios perpetim remunerandos. scilicet eucharium valerium. et maternum vocavit ad superos. treberi recte fidei credulitatem

Cod A 94 (15)

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 94.15, 1r – Gesta Trevorum
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-zykn/5149/49273)